



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXX. S. Devsdedit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**



## S. DEVS DEDIT.

A. DCXIV.

**D**EVS DEDIT, natione Romanus, ex patre Stephano subdiacono, sedit annos 3. dies 30. Hic Clerum multum dilexit, & sacerdotes, & cæteros clericos ad pristina loca reuocauit. Huius temporibus mense Augusto fuit terræmotus magnus. quem secuta est clades, & grauis percussio scabierum, ita vt nullus mortuum suum posset agnoscere. Gordianus Episcopus Hispaniensis Ecclesiæ litteris ad prædictum Papam directis de viris & mulieribus, qui nescientes pro magno populorum incurfu Paschali Sabbatho filios à fonte baptismi susceperant, ipsum consuluit, si iam ad proprium suum vsum redire debeant? Qui in Ecclesia Isauriæ & Hierosolymæ, & in multis aliis Ecclesiis talia olim euenisse dicit, & antecessores suos Iulium, & Innocentium, & Cælestinum cum plurimorum Episcoporum conuentu talia prohibentes præscripsisse asserit, vt nullo modo iam se in coniugium reciperent mulieres & viri, qui per quamcunq; rationem susciperent natos, sed separarent se, ne suadente diabolo tale vitium peccati inolescat per mundum, & vniuersorum error accrescat. Addidit ad hoc, dicens. *Scitis, quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismatis, à primo pabulo salis sacrati, & ingressu sanctæ Ecclesiæ vsq; ad confirmationem sancti Spiritus per chrisma. Ab hoc ergo \* Spiritus sancti dono vsq; ad septimum \* primo Spir. nullus Christianus suam commatrem in coniugium recipere debet: & qui præsumpserit anathematis vinculo religetur in perpetuum, nisi pœnitentiam egerit dignè. Mulieres verò, cum separatæ fuerint hac pro \* illicitatione à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post expletum annum recipiant alium virum, si voluerint. Similiter & vir uxorem.*

## LXXI.

## BONIFACIUS V.

A. DCXVII.

**B**ONIFACIUS, natione Campanus, de ciuitate Neapoli, sedit annos 5. menses 10. Hic constituit, vt testamentum secundum Principis iussionem valeat. Constituit etiã, vt nullus violenter de Ecclesia auferatur. nec aliquis, nisi presbyter sanctorum Martyrum reliquias de Ecclesia leuare præsumat. Fuit vir mitissimus, & amauit Clerum. Hic ordinauit Episcopos 29. presbyteros 26. diaconos 4. Qui defunctus est 8. Kalend. Nouemb.

M

LXXII.